



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 29. Cui restitui debeant res ex incendio vel naufragio ereptæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

lapidum est illius, in cujus fundo invenitur; item fons illius, in cujus fundo erumpit, multò magis metallum.

§. 7. Notat rectè *Haun.* n. 18. circa inventiones thesaurorum, & *Lugo* n. 108. circa inventiones metallorum, spectandam esse consuetudinem locorum, nam hodie dum Principes aut Resp. magnam partem vel totum thesaurum sibi vendicant, venas autem metallorum magna ex parte applicant inventoribus, etiam ideo, ut eos ad quærendum incitent; & ita etiam habetur L. 3. Cod. De Metallariis & metallis. Cuncti, qui per privatorum loca, saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repræsentent, cætero modo suis desideriis vindicando: an autem id justè per modum tributi, an verò tale tributum fit injustum, eò quòd videatur inæquale, videri potest *Lugo*, qui dicit justum esse, eò quòd spes ejusmodi inveniendorum parvi æstimeretur, & ita statuatur pro priori ad hoc, quòd hic vel ille fundum possideat: quo autem pretio emi possit fundus, in quo scitur esse thesaurus aut ejusmodi vena metallica, de quibus tamen dominus fundi nihil scit, dicetur postea, n. 942.

Q. 29. Cui restitui debeant res ex incendio vel naufragio ereptæ. R. Priori domino, uti rectè *Bonac.* de Rest. d. 1. q. 3. p. 10. n. 6., quia tales res manent domini, & alioqui cuivis liceret rapere quidquid posset, è domo incensa: & quamvis ille, qui eripuit, potuisset sine injuria permittere comburi vel mergi, tamen hoc ipso, quòd eripuerit, res obtinuit meliorem statum, qui status ad rem ipsam pertinet, adeoque ad dominum rei, uti n. 100. dictum est: quod maxime

Tom. III.

E

valet

valet de rebus, quas dominus in periculo naufragii eiecit, uti rectè *Haunol.* tr. 5. à n. 152., nam non ideo eiecit, quòd habere nolit, sed ut evadat, vultque recipere, si possit, & non sunt in derelicto, sed in deperdito, §. 48. *Instit. De rer. dom.* L. 21. §. 1. ff. *De acquir. vel amitt. possess.* hinc qui eas res rapuit & repetenti non reddit, quadruplo tenetur, L. 44. ff. *De acquir. rer. dom.* imò sic retinens publicatione omnium bonorum multatur, *Auth: Navigio Cod: De furt. & servo corrupto*: hinc cum aliis docet *Dicast.* de Rest. d. 9. n. 436. aliam legem aut consuetudinem, per quam talia bona fierent illius, ad cuius fundum appellerent, fore injustam: hinc etiam in Bulla Cœnæ excommunicantur, qui bona naufraga Christianorum occupant, nisi fortè censeantur derelicta, uti diximus n. 90.

113 Q. 30. Cui restitui debeant res in bello captæ.
 R. Dominium rerum immobilium iusto bello captarum acquiritur Principi vel Reip:, nisi tales res iterum eriperentur hostibus, tum enim antiquis dominis restituendæ sunt, L. 20. §. 1. ff. *De capt.*, tenentque AA communiter cum *Dicast.* L. 2. t. 1. d. 10. n. 420: Econtrà si sint res mobiles, distinguunt aliqui Juristæ apud *Haunol.* n. 60. dicentes, si sint valde pretiosæ, acquiri Principi; si vulgares, acquiri capientibus; sed *Dicast.* dicit, seclusâ consuetudine in contrarium, regulariter acquiri capientibus, quia §. 17. *Instit: De rer. divis.* absolutè sic habetur, *Item ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra sunt.* Quòd si talia capiantur, quæ hostes injustè rapuerant, de jure naturæ restitui deberent dominis, jure tamen Cæsareo ad
 vitan-